



Mundus Aspectabilis Philosophice Consideratus

Falck, Joseph

Augustae Vindelicorum, 1740

Caput Ultimum. Ubi locorum in Mundo doceatur verus Dei cultus, & recta
ad felicitatem viæ?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95848](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95848)

sex ex concupiscibili, nempe amor, odium, desiderium, fuga, gaudium, & tristitia: ex irascibili quinque, scilicet spes, desperatio, timor, audacia, ira.

Amor est actus appetitus sensitivi, quo homo in bonum sensibile fertur; motus itaque animæ cum spirituum & sanguinis agitatione conjunctus, quo in rem, ut nobis bonam & commodam, nitimur, Amor dicitur. Odium verò seu aversio dici potest motus, quo animus à re, ut nobis noxia aut molesta, alienatur. Desiderium est passio, quâ homo fertur in bonum absens: si motus ille sit appetitus sensitivi, dicitur concupiscentia; si sit appetitus rationalis, dicitur desiderium. Fuga est passio, quâ malum præcisè ut absens, sive futurum sit, necne, aversamur: si malum illud sit difficulter vitabile, passio illa Timor appellatur. Gaudium est actus quidam animæ, seu sensatio jucunda, ex præsentia & possessione boni orta. Tristitia est contraria sensatio, seu actus ex præsentia mali natus. Spes est passio seu actus, quo homo fertur in bonum sensibile futurum, arduum quidem, quod tamen potest obtineri. Desperatio est passio, quâ homo recedit à prosecutione boni, considerati tanquam impossibilis. Audacia est passio, quâ homo neglecto imminenti periculo constanter aggreditur aliquid difficile, ut bono optato fruatur. Ira tandem est passio, quâ prouimus in odium & vindictam de accepta injuria.

Stoici asseruere, eum, qui sapiens est, debere animi passionibus omni ex parte vacare, indignum scilicet judicantes hominem sapiente perturbationibus concuti, cum hæ animi morbi sint. Platonici autem & Peripatetici contrariam partem secuti sunt, asserentes non posse hominem quantumlibet sapientem passionibus omnino vacare. Sed quæcunque Stoicorum mens fuerit, negari non debet, passionem cadere etiam in eos, qui veræ sapientiæ, & magnarum virtutum ornamentis præditi sunt; cum illæ naturaliter obveniant, sique ratione ipsas moderemur, ad virtutum officia possint revocari, & ex illis possit homo laudem & præmium mereri. *Cupunt, inquit S. Aug. timent, latantur, & boni & mali; sed illi bene, isti male: sicut hominibus seu recta seu perversa voluntas est.* Ut ut sit, Christiani præcipue Philosophi est, utpote veræ sapientiæ studiosi, veras virtutes assequi, vitia fugere, passionem regere & moderari: Vera enim sapientia, ut rectè ait Justinus Martyr, est sapientia Christiana, quam ab increata & incarnata Sapientia accepimus & profiteamur.

CAPUT ULTIMUM.

*Ubi locorum in Mundo doceatur verus Dei cultus,
& recta ad felicitatem via?*

AD initium hujus operis proposuimus nobis contemplationem Mundi aspectabilis, ut illius Auctorem Deum ex suis operibus cognoscamus, tum colamus, ac denique in eo veluti fine ac felicitate nostra quiescamus. *Hoc est enim omnis hominis,* quamvis non omnis homo Deum suum condignè colat, & qui non condignè colit, à fine suo aberrat. Deum esse, & esse felicitatem nostram ostendimus: ubi autem inter tot Nationes & Religiones diversas condignè colatur, satis quidem insinuavimus, non tamen ex professo tractavimus. Hæc materia tractari solet Theologicè; at cum interveniat cognitio naturalis, quâ

quâ scimus, quid in orbe terrarum agatur, & quid melius sit, discernere possumus, illam operibus suis philosophicis inseruit Illustrissimus ac Doctissimus Archiepiscopus Cameracensis D. de Fenelon: & quidem materiam hanc ita pertractat, ut sit ad captum omnium, quia omnibus necessaria; dignissima proinde, quæ pro coronide hic etiam inseratur.

SYNOPSIS.

TRia præcipua capita ad salutem necessaria, homini etiam simplici ita exposita & probata, ut facile veram religionem agnoscat, eique toto animo se submittat. Existit Deus Creator universi & omnium Pater, quem propterea debent creaturæ rationales & filii colere, modo quo possunt meliore tanta Majestate digno: cultus talis non habetur, nisi in Religione Christiana; & quidem sola Catholica illum docet modo, ad omnium captum & necessitatem accommodato: Nemo igitur est, qui hanc non præferre debeat, atque in ea indubitanter vivere ac mori præoptet, si salutis suæ consultum velit.

§. I.

*Existit Deus infinitè perfectus, Creator
Mundi omni laude dignissimus.*

UT hanc veritatem percipiat homo, opus non est, nisi ut oculos aperiat, & mentem habeat liberam; statim enim absque ratiocinio agnosceret potentiam & sapientiam Creatoris in opere suo relucentem. Quod si aliquis, qui plus vult sapere, quam oportet sapere, hanc veritatem impugnet, cum illo neutiquam disputabo, id solum rogabo, ut supponam illum post naufragium in desertam insulam ejectum: ibi videt domum ad omnes architectonicæ regulas constructam, omni suppellectilis genere magnificè ornatam, in conclavi interiore libros optimos in omni genere, pulcherrimo ordine dispositos; nemo tamen mortalium comparet in tota insula. Jam quæro ex illo, utrùm possit sibi persuadere, totum hoc opus esse fortuitum sine industria dirigente? Contendo potius ego, illum non posse, quantumvis sibi vim inferat, sibi persuadere, hanc lapidum congeriem tali ordine ac symmetria dispositam, hanc omnis generis suppellectilem tanta arte ac proportionem elaboratam, & tam bellè collocatam, tot libros de sublimioribus scientiis tam accuratè tractantes, combinationem esse merè fortuitam. Poterit equidem subtile aliquod ingenium forsan aliquid asserere, quo paradoxum adeò absurdum quocunque demum modo speculativè propugnet: practicè tamen non poterit unquam seriò dubitare de intelligentis industria in tali ædificio resplendente. Hæc impotentia dubitandi in homine ostendit, illum plenè convictum esse; hic, ut ita dicam, ultimus humanæ rationis terminus est, quem supergredi non potest.

Si jam tale ædificium nobis statim ingerat cognitionem industriæ artificis; quantò magis hæc rerum universitas, immensum hoc opus tanta rerum varietate distinctum, tanto ornatu variegatum, tam excellenti partium ordine dispositum, tam admirandis motibus conspicuum, illico nobis manifestabit Opificem sapientissimum? Hæc comparatio obvia est, & nemo est, quem illa non

convincat de existentia Divinitatis, & fortè facilius hominem simplicem, quàm Philosophum vanum; hæc enim est differentia inter plebejum hominem, & talem sciolum, quòd ille in sua simplicitate sequatur statim ea, quæ primo aspectu ei manifesta sunt; iste verò suis præjudiciis seductus, variis subtilitatibus ipsam suam rationem obnubilet. En igitur Divinitatem ita omnium oculis expositam, ut nullus homo mentis compos, qui attentus sit sine vanitate & animi passione, illam non videat. Tantum abest, ut opus habeat multo ratiocinio, ut potius nihil timendum habeat, quàm ut fallaci ratiocinio implicetur: non magis opus habet meditatione, ut Deum suum ex aspectu mundi visibilis agnoscat, quàm ut supponat horologopæum, dum videt horologium, aut architectum, dum considerat ædificium.

Statim autem ac homo cognoscit suum Creatorem ac Patrem optimum, à quo habet esse, vitam, & omnia ad vitam necessaria, à cuius nutu dependent omnia, quique suprema potestate illa gubernat, à quo solo, uti sunt omnia, ita etiam ille suam felicitatem expectare debet: homo, inquam, qui hoc cognoscit, naturali rationis dictamine agnoscit etiam, & iudicat, supremum hunc Creatorem ac Patrem optimum colendum esse, & quidem modo, quo potest meliore, & quantum in ejus viribus est, tanta Majestate ac Bonitate condigno.

§. II.

*Sola Religio Christiana cultum habet**Deo dignum.*

Religionis Christianæ fundamentum & basis est amor Dei; hoc est enim primum & maximum mandatum, hæc prima regula, *Ut Deum nostrum amemus ex toto corde, ex tota mente, ex totis viribus*: Religionēs reliquæ consistebant in timore Deorum, quos cupiebant placare; atque in spe beneficiorum, quæ studebant sibi procurare per aliquem cultum exteriorem, per preces & sacrificia. Religio autem, quam nos docuit Jesus Christus, nos obligat ad Deum magis amandum, quàm nos ipsos, atque ad nosmetipsos non aliter amandos, quàm ex amore ipsius: Nobis illa proponit, in mercedem, perfectum & æternum amorem: illa exigit abnegationem propriam, *Abneget semetipsum*; exigit nempe omnis amoris proprii exclusionem, ut nos duntaxat amemus ex charitate, veluti rem ad Deum spectantem, quàmque Deus vult à nobis amari in semetipso. Hæc inversio totius hominis, est restitutio ordinis novi hominis. En! quod ingenium humanum non excogitavit: superiorem esse potentiam necesse est, quæ vertit hominem contra se ipsum, eumque cogit ad ferendam hanc sententiam contra suum amorem proprium; nihil tamen adeò evidenter justum est, nihilque simul, quod intima hominis, sui ipsius idololatra, adeò evertat supditus. Deus non sufficienter colitur, nisi per hunc amorem summum, ut sæpe repetit S. August. Unde ergo factum est, ut potissima pars hominum defleceret in oppositum? substituit nempe sacrificia animalium, thus, aliæque dona in locum sui ipsius, victimæ, quam oportebat immolari. Dicatur jam homini, etiam simplici & indocto, quod debeamus amare Deum Patrem nostrum, qui nos fecit propter se: verbum hoc statim

tim penetrabit cor ejus, nī superbia, vel amor prōprius impediat, nec opus habet discussione, ut sentiat, hanc esse Religionis summam.

Jam verò verus iste cultus nusquam reperitur, quā in Religione Christiana; non est ergo, cur deliberes, ut eligas; alius omnis cultus inferior est, nec est, nec meretur nomen Religionis. Judæismus erat initium, & imago cultus promissi: si inde tollas figuras rudes, imperfectiones toleratas, ceremonias legales, & similia, erit Christianismus inchoatus: Christianismus perfectus sublati imperfectionibus omnem docet perfectionem, etiam internam, & quidquid interiūs in imo corde vitiosum est, rejicit: est everfio idololatriæ amoris proprii, & institutio purissimi cultus Dei per amorem summum & supremum. Quare jam, quantum volueris, non invenies verum hunc cultum, evolutum, depurgatum & perfectum, nisi apud Christianos; hi soli cognoscunt Deum infinite amabilem, & condignè colendum docent.

Quid enim Mahometani? non merentur, ut de illis fiat hic mentio. Eorum religio non est, nisi cultus rudis, servilis, mercenarius, carnalis: admittuntur falsum Prophetam, qui ipso fatente nullam habuit missionis suæ probationem, qui legem suam multis ineptiis & scditatibus inspersit. Neque mentio facienda est de populis aliis barbaris, eorūque insaniis. Neque in comparisonem venire possunt illi populi, qui magis culti reputantur: suere quidem inter illos sapientiores aliqui, qui de virtute, de honestate, decore, & politia externa, multa præclare scripserunt: nullus tamen eorum est, qui in suo cultu non habuerit ineptias & vitia. Id patet ex Ægyptiorum, Græcorum, Romanorum, cultiorum olim Paganorum delubris, oraculis, auguriis, festis, ceremoniis &c. Idem suo modo intellige de populis hodie cultioribus, quales reputantur Sinenses, qui etsi leges quasdam morales & politicas bonas habeant, in suo tamen cultu ineptias habent aut vitia. Et si hæc deessent, nullus tamen eorum omnium est, qui de Deo rectè sentiat, illum adoret in spiritu & veritate, eūque colat, uti convenit, non amando seipsum aut aliud, nisi propter Deum, & omnia referendo ad ipsum.

Homo igitur simplex & rectus, etsi quærat & percurrat omnia, nusquam gentium consistere poterit, & invenire, quod optat, nisi apud Christianos, cum apud hos solos inveniat amorem perfectum. Statim atque hunc invenit, invenit omnia, probèque intelligit, nihil aliud sibi superesse quærendum. Mysteria summa non eum absterrent; comprehendit enim, quòd, cum ipsa natura, opus Dei, ab imbecilli suo ingenio comprehendendi non possit, mirari non debeat, se non posse comprehendere omnia secreta Divinitatis: ipsa hæc imbecillitas vertitur in fortitudinem, & ejus tenebræ in lucem, ut diffidat sibi, & docilis fiat Deo. Nullam difficultatem habet credendi, Deum, amorem infinitum, dignatum fuisse ad nos descendere in carne, nostræ simili, ut temperaret radios suæ gloriæ, nosque doceret amare, & seipsum amaret in nobis. Atque in hoc sensu verum est dicere, veram religionem potius inveniri corde, quā ingenio: & revera invenitur simplicissimè per amorem Dei infinite amabilis, non per ratiocinium subtile Philosophorum. Socrates ipse nihil ferè invenit, cum interea humilis muliercula, & opifex docilis inveniunt omnia, dum inveniunt amorem perfectum. *Confiteor tibi Pater &c.* Amor Dei sine discussione decidit de summa rei in favorem Religionis Christianæ: hoc in sensu uti loquitur Tertullianus, *Anima naturaliter est Christiana.*

§. III.

*Sola Ecclesia Catholica docet hunc cultum modo
ad caput & necessitatem omnium hominum accommodato.*

Characteristica veræ Religionis est cultus Deo dignus §. præced. explicatus: hunc non adinvenit homo, sed homines docuit ipse Deus, homo factus. Amor perfectus Dei cogniti est basis illius & fundamentum; reliqua, uti plures veritates revelatæ, speculativæ & practicæ, sunt cultus magis extensus & explicatus, quæ tamen eò tendunt omnia, ut Deus perfectè cognoscatur, & ametur, & colatur, modo tanta Majestate & Bonitate condigno, Christi, Verbi incarnati, doctrinam scriptam, vel traditam profitentur, quotquot Christiano nomine gloriantur; sed quis eorum puram Jesu Christi doctrinam ita proponit ac docet, ut homo simplex & rectus eam faciliè agnoscat, & indubitanter sequi possit?

Omnes homines, præsertim simplices & indocti, indigent Auctoritate, quæ decideret, & cujus decisioni fidere possint, quin opus sit discussione, cuius patenter incapaces sunt: quæ enim ratione exigere potest, ut mulier rustica vel opifex plebejus examinet textum originale, editiones, versiones, & sensus varios textus sacri? Deus defuisset indigentia & necessitati omnium ferè hominum, nisi ipsis constituisset Auctoritatem infallibilem, per quam eximantur hac discussione impossibili, & errandi periculo liberentur. Igitur homo indoctus qui perbene noscit Dei Bonitatem, & satis superque experitur suam impotentiam, supponere debet talem Auctoritatem à Deo ordinatam, eamque humiliter ac demissè quærere, ut eidem se submittat. Sed ubinam locum hanc inveniet?

Societates omnes ab Ecclesia Catholica separatæ, in eo separationis suæ fundamentum reponunt, quod velint quemlibet hominem privatum constituere judicem scripturarum, seque illi ostensuras spondeant, scripturam contradicere antiquæ illi Ecclesiæ; primum statim, quod personam quamlibet privatam, si sectas illas audiat, oportet facere, est, ut sibi arroget prærogativam judicis, & judicet inter illas & Ecclesiam, quam deseruerunt. Jam quis opifex plebejus, aut quæ rurestris muliercula possit sine ridicula, ac temeraria arrogantia, offensionis plena, apud se sic statuere, & dicere: *Nunc vadam, & examinabo, utrum Ecclesia antiqua bene vel malè interpretata sit textum scripturæ.* En nihilominus punctum essentielle & fundamentum separationis omnis rami ab antiquo stipite! Cuilibet indocto, qui scit, & experitur suam ignorantiam & incertitiam, horrore esse debet primus hic passus, & actus adeo arrogans & temerarius; quærit proinde Auctoritatem, quæ illum eximat ab hoc actu temerario, atque à tali examine, cuius ipse incapax est. Omnes novæ sectæ, sequendo suum principium fundamentale, clamant, eique dicunt; *Lege, discute, judica, decide.* Sola antiqua Ecclesia eidem dicit, non judica, non decide; sufficiat tibi humilem esse ac docilem: Deus suum mihi promisit spiritum, ut te servem ab omni errore immunem. Quam harum sequatur indoctus iste? an illas, quæ petunt ab ipso impossibile? an istam, quæ promittit ei, quod ipse impotentia, & Bonitati Divinæ maximè convenit?

Propone tibi paralyticum, qui vult è suo lecto se proripere, quia domus concepto igne flagrat. Consilium petit & opem à quinque viris astantibus, qui

qui omnes ei dicunt, surge, curre, penetra confluentem turmam, libera te ab hoc incendio. Denique invenit sextum, qui ei dicit: permitte te mihi, ego te hinc exportabo in meis brachiis, & ponam in tuto loco. Putasne, illam fidem habiturum quinque viris, qui ei consulunt, quod probè scit, & sentit, se facere non posse? an non potius credet illi, qui solus ei promittit auxilium suæ impotentiae accommodatum? Huic ille se totum permittit sine ulteriori ratiocinio, nec aliud quærit, quàm ut se in illius brachiis tractabilem præbeat ac docilem. Ita profectò evenit homini in sua simplicitate, & ignorantia humili & submisso: fieri non potest, ut seriò audiat illas sectas, quæ inclamant, eique dicunt: *Lege, discute, decide*, cum perbene sciat ac sentiat, se nec posse legere, nec discutere, nec decidere. Singulari potiùs ipsi solatio est, quòd audiat antiquam Ecclesiam sibi dicentem: agnosce tuam impotentiam, submitte te, esto docilis, confide Bonitati Dei, qui nos non relinquit sine auxilio, quo ad ipsum pervenire possimus: sine, permitte te mihi, ego te recipiam in mea brachia. Nihil simplicius, nihil brevius hac viâ ut perveniat ad veritatem: homo indoctus nec indiget libro, nec ratiocinio profundiore, ut veram inveniat Ecclesiam, clausis oculis clarè intelligit, illas omnes, quæ volunt illum constituere judicem, non esse tales, quibus possit fidere, eamque solam, quæ jubet, ipsum demissè ac humiliter credere, posse esse veram. Librorum ac discussionum loco ei satis sunt propria impotentia & Bonitas Divina, ut reiiciat adulantem seductionem, & firmus persistat in humili docilitate: prudens ipsius ignorantia sufficit ad decidendum; hæc ipsa ignorantia ipsi vertitur in scientiam infallibilem: quò magis ignorans est, eò magis hæc ignorantia palpandam ipsi exhibet absurditatem sectarum illarum, quæ volunt eum constituere judicem in re, quam non potest examinare.

Et hæc Auctoritas non indoctis modò, sed ipsis etiam doctis summopere proficua est, ac necessaria, ut humilientur & suam sentiant incapacitatem. Continua altercatione & discussione sapiùs ita implicantur, ut consiciantur in majora dubia, quàm indocti: disputant sine fine inter se, & sæpe pertinaciter adherent opinionibus absurdissimis. Equè igitur ipsi, ac plebs infima, indigent Auctoritate suprema, quæ deprimat eorum arrogantiam, corrigat eorum præjudicia, terminet illorum lites, tollat dubia, dissidentes ad concordiam revocet, & denique Docti uniantur cum indoctis, idèmq; sentiant omnes.

Sed ubi hanc auctoritatem omni ratiocinio superiorem inveniemus? In nulla sectarum inveniri potest; quæ non aliter formantur & coalescunt, quàm inducendo homines ad examinandum & discutiendum, constituendo eos iudices scripturarum supra Ecclesiam. Non igitur inveniri potest, nisi in Ecclesia antiqua, quam Catholicam dicimus: in hac enim ortæ sunt dissensiones; in hac fuit semper, & est Auctoritas, quæ veritatem doceat, & dissidentes ad concordiam revocet, aut reluctantes condemnet. Quid simplicius, quid imbecillitati plebis magis accommodatum, quàm decisio, ad quam non alia re opus est, quàm ut quis sentiat suam inscitiam, & nolit tentare, quod est impossibile. Reijce discussionem patenter impossibilem, & arrogantiam ridiculam: & en! te Catholicum.

Veram igitur ad felicitatem viam cognoscere potest homo, qui rationis compos est, qui mentem habet liberam, qui rectus est corde, & illam sincerè quærit. Imprimis enim ex admirabili hac in Mundo Aspectabili rerum universitate potest cognoscere sapientiam, potentiam, bonitatem Creatoris &

Patris

Patris optimi, quem propterea colendum intelligit modo, quo potest meliore, & quantum in ejus viribus est, tanta Majestate ac Bonitate condigno. Talem autem cultum nusquam reperit, nisi in sola Religione Christiana, quæ omnem perfectionem docet, & quidquid, etiam interius, vitiosum est, excludit, quæ pro fundamento & basi habet amorem Dei supremum ac perfectum, quo Deus amatur super omnia, & omnia referuntur ad ipsum. Hunc porro cultum, prout illum à Christo accepimus, & se extendit ad omnes vitæ humanæ actiones ritè peragendas, atque ad Deum referendas, sola Ecclesia Catholica proponit ac docet modo, qui Divinæ Bonitati maximè conveniat, & sit ad captum, & necessitatem omnium hominum accommodatus. Conclusionem inde deducendam alijs relinquimus: nos ejus loco Sapientiæ increatæ & infinitæ Bonitati Divinæ immortales hinc gratias agimus.



Elen-